MANUSCRIPTA
INSTITUTI OSSOLINIANI
II. 469

Nr. Inv. 469.

Decretum Concessionis Contributionis ex proventibus Ecclicis in ærarium S^æ R. M^tis

INSTITUT OSSOLINSKICH

Die 26 January 1644 S. Congr. Emorum Cardlium controversijs Iurisdictionalibus Præpositor. censuit si Sanctmo D. Nro placuerit petitam facultatem contribuendi, pro vna tantum vice, et pro honesta portione posse in forma commissaria concedi sclt veris existentibus narratis impositde.

Breve S^mi pro contributione ex proventibus Ecclicis

Vrbanus PP. VIII

Venerabilis Fr. salutem et Aplicam benedictionem. Optamus paternæ benevolentiæ significationes Charissimo in Chro Filio Nro Poloniæ et Sueciæ Regi assidue exhibere cuius promeritis ac virtutibus plurimum semper tribuendum esse censuimus. Cum autem ille summa cum sui nominis gloria infensis veræ fidei hostibus non semel profligatis præcipuum in Catholicæ religionis propagationem et Eclesiæ dignitatem studium luculenter ostenderit, par esse ducimus ut quando in præsenti rerum statu secularis ordo Regio ærario sublevando ingentes confert pecuniarum summas ex Eclicis etiam proventibus aliquid subministretur. Proinde Frnitatis tuæ et aliorum Regni Epporum votis ac petitionibus annuentes facultatem concedimus, ut clerus ex proprijs redditibus aliquam partem contribuat ijs sub condiōnibus quas Pontificium Diploma hac super re conscribendum distinctiq declarabit. Cæterum eximiam tuam in Eclica immunitate solicitudinem ac zelum summopere commendamus qui Frnitati tuæ cœlestium munerum incrementum ab Altissimo precamur et Aplicam benedictionem intimo cordis affectu impartimur. Datum

469
INSTITUT OSSOLINSKICH

Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Februarij MDCXLIV° Pontificatus Nri Anno XXI°

Julius Rospigliosus.

A Cardinali Barberino

Cuncta quæ ab Aplica auctoritate Sanctmus D. Nr. in Poloniæ Regem proficisci posse intelligit affectus, atq existimationis documenta ea desiderari non patitur, sed omnibus Maiestatis suæ rationibus propensissima voluntate suffragatur. Id non obscure patefecit in præsentia cum D. Vræ et aliorum Regni Epõrum petitionibus annuens concessit, ab Ecclesiasticis in Regium ærarium eam pecuniæ summam conferri quæ Pontificijs literis declarabitur. Qua in re ego sane officia perlibenter adhibui et quoties aliæ sese offerant occasiones, sedulo curabo, ut meum erga Regem obsequium, erga Poloniam studium re ipsa exploratum sit. Gratissimum vero mihi accidit dum illud aliqua ratione testari potero D. Vræ cui paratissimum me profiteor et diuturnam felicitatem a Deo impense precor.

Romæ 13 Februarij 1644

Ego Adamus Casimirus Oporowicz Sacra authoritate Aplica Pubcus atq Actorum Curiæ Illmi et Rmi Dni Dni Matthiæ Lubienski Dei et Aplicæ Sedis gra Archiepi Gnesnen. Notarius supra: scripta omnia ex originalibus fideliter descripta [illegible] cũ eisdem collationata et auscultata in modo et forma debitis extradidi rogatus et requisitus. [illegible]

ex puentibus Eccles in dicand
P. R. M. 1644

J7

J7

7771/5

7771
5